



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

7. De Imped. cognationis legalis

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

jugij contractum sit. 4. vt ad S. Pontificem facilis accessus non sit. At verò vt contrahatur matrimonium, cum impedimento dirimente, non videtur Episcopus dispensare posse, sicut dixi lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 4.

C A P. VII.

De impedimento cognationis Legalis.

Legalit cognatio est propinquitat personarum **I** Lex adoptione proueniens Adoptio verò est extraneæ personæ in filium aut filiam, nepotem aut neptem legitima assumptio. Extranea hic dicitur, quæ non est ex descenditibus; siue alioquin sit adoptantis consanguinea, siue non. Legitima assumptio dicitur, quia legibus ciuilibus constituta & canonicis approbata est vt in legati adoptione, & inde orta cognatione, seruatae sint conditiones, quæ iure ciuili præscribuntur: videlicet, vt adoptans sit masculus, sui iuris maior 25. annis, ad liberos gignendos naturaliter non impotens; vt persona extranea cum adoptatur præsens sit adoptandi & in adoptionem consentiens, denique vt saltem 18. annis minor sit suo adoptante, ideoque illum pro patre, spectata etiam ætatis ratione, habere possit: cum hæc liberorum adoptio ad similitudinem carnalium introducta sit.

Duplex est adoptio. Vna perfecta, in qua Principis rescripto, persona extranea sui iuris existens, in alterius veluti patriam, potestatem, familiamq; transfertur, vt instar legitimorum natorum esse

Mmm 5 inci-

incipiat. Alio nomine dicitur *Arrogatio*, quia in ea rogari solet adoptans, num velit adoptandum filium legitimum fore; similiter & adoptatus, an id fieri consentiat. Altera est adoptio imperfecta seu simplex, per quam extranea persona in parentis sui potestate existens, ab alio in filium vel filiam adsciscitur, ut tamen naturalis patris vel aui potestate non egrediatur, neque patri adoptiuo ex testamento necessario succedere debeat (sicuti arrogatus in quarta bonorum parte) sed tantum ius succedendi ab intestato habeat. Et talis imperfecta adoptio, impedimentum matrimonio non praestat. Ratio, quia impedimentum cognationis legalis introductum est ob similitudinem, quam filij adoptiui gerunt cum legitime natis: eiusmodi autem filiationis similitudinem illi proprie non gerunt, quia ex imperfecta adoptione sunt: quandoquidem in familiam & potestatem patris adoptiui non adsciscuntur.

2 Adoptio legalis autem perfecta est matrimonij impedimentum dirimens, civili iure constitutum & canonico approbatum.

3 Estque triplex modus impedimenti proueniens ex adoptione legali. Primus in linea legali recta inter adoptantem & descendentes adoptati, si in eius potestate existant. Secundus in linea transversa inter adoptatum & legitimos natos ac nepotes adoptantis. Dico *natos legitimos*. Nam illegitimi non censentur esse in potestate patris sui, unde non oritur cum illis cognatio legalis, sicut neque cum emancipatis. Secundo, ut excludam liberos adoptiuos, qui fratres & sorores adoptiui, si ex di-

uer-

uersa familia sint, inter se contrahere nullo iure prohibentur. Tertius modus est per modum affinitatis inter adoptatum & uxorem adoptantis, inter adoptantem & uxorem adoptati. At verò inter adoptantem & filij adoptiui parentes nulla legalis cognatio interuenit.

Est porò discrimen inter dictas species siue modos cognationis legalis, quod prima & tertia etiam dissoluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, matrimonium dirimat, non item secunda, sed quamdiu adoptatus in potestate adoptantis manet. Quare facilis est modus efficiendi, vt filius adoptatus cum filia adoptantis carnali contrahere possit, si eorum alteruter secundum formam ciuiliū legum emancipetur.

CAP. VIII.

De Impedimento cognationis spiritualis.

Cognatio spiritualis est propinquitas secundum iuris canonici dispositionem, orta ex administratione, vel susceptione sacramenti baptismi, vel confirmationis. Nam sicut per naturalem generationem homo formatur & nascitur, postea verò roboratur corporaliter: Ita per sacramentum baptismi ac formatur ac renascitur, & per sacramentum confirmationis roboratur spiritualiter: quamobrem etiam in spirituali regeneratione intelliguntur esse parentes spirituales, videlicet, qui sacramentum ministravit, & parrinus, quibus
cum